

purgat; certum est, quia alloquens in Ecclesia, non alios vult salvare, sed per bonam doctrinam malos actus suos celare.

21.

Quid vides. Illa particula quid, per modum interrogationis cur, quare: quod magnam habet emphasim, id est, ad quid frustra, & incassum, ac sine ullo fructu vides curiosè, ac lyncis oculis; & vides per iudicium, ac intentionem, ut explicat Albertus Magnus, festucam minimam ligni, seu palce particulam, in oculo fratris tui, ad exaggerandum crimen; nam iste talis per odium videt festucam, ut advertunt Chrysostomus homil. 24. D. Augustinus lib. 2. de sermone Domini, cap. 2. in oculo illius, quem ut frater, debebat diligere. Et totus hic sermo est parabolicus. Festuca significat leviora peccata; trabs autem graviora, & majora. Et est communis sententia, & explicant D. Augustinus, & Chrysostomus citati. D. Hilarius can. 7. D. Hieronymus, D. Paschasius lib. 4. D. Gregorius 3. Pastoral. cap. 10. & alij.

Alb. Magn.

Chrysof. August. Sermo parabolicus. August. Chrysof. Hilari. Hieron. Paschas. Gregor.

22.

Aut quomodo, id est, qua fronte, & sine rubore, Lucas verò habet: Quomodo potes dicere, ac si significat: Qui est in peccato, non potest dicere, nec alium arguere? Sine, ejiciam festucam de oculo, &c. Si enim tu totus es in peccato, quomodo potes alium emendare. Quomodo potestis loqui bona, cum sitis mali. Hypocritas, Hypocritas vocat, eo quòd alios corripiendo, immunes à peccato volunt videri, cum re vera ipsi toti sint in peccatis putrefacti. Chrysostomus homil. 24. Liqueat omnino, ait, quòd fratrem ipse odio iudices, non studio disciplina: nec emendare illum cupias, sed notare. Ejice primum trabem, hoc est corripere prius in te graviora scelerata. Et tunc videbis, qui antea tute, & caligine peccati cæcus eras, Ejicere, hoc est ad ejiciendum festucam de oculo fratris. Interlinealis: Non enim est prius idoneus doctor aliis mederi, nisi prius se sanaverit. Medice cura te ipsum, Luc. 4. num. 23. D. Hilarius loco allegato: Ex natura rerum est, ait, non prius aliquem de purgando oculo fratris idoneum effici posse doctorem: quam de mentis sua lumine, crimen gravantis perfidia ejecerit.

Chrysof.

Interlin.

Luc. 4. Hilari.

QUÆSTIO V.

Quomodo trabs possit esse in oculo, & ipse cum ea videre?

23. Palat. Prima distinctas.

Anima maxime gravatur peccatis.

Duo breviter hic inquiri. Et primò, Merito dubitat Palatius: Quomodo dicatur trabs in oculo, nam trabs super humeros poni frequens est; at in oculo valde mirum; nam oculus, cum sit exiguus, trabis, quæ est res grandis, & gravis, non poterit esse capax: De sensu literali planè est intelligentia: nam sermo est parabolicus, ut jam dixi in expositione. Moraliter rem expendo. Et primò, Per trabem hic significatur peccatum mortale, quod est in anima: rectè ergo dicitur, trabem esse in oculo, quia tam incapax est oculus trabis, quam anima peccati mortalis; & tantum gravat peccatum mortale animam, ac si ingens trabs esset posita super oculum, rem tenuem, & exiguam. Tamen malitia humana totum hunc transvertit ordi-

nem, ut ingentia, ac ponderosa peccata recondat in anima. Psalm. 37. numero 5. Iniquitates meae supergressæ sunt caput meum, id est, mentem meam. Et sicut onus grave gravata sunt super me. Psalm. 37.

Secundò, Dum peccatum comparatur trabi, ac festucæ, demonstratur, quam impatiens illud esse debeat anima nostra. Nam, cum oculus sit res terribilissima; minutissima re læditur; eaque adeò affligitur, ut in lachrymas se diffundat, quoad ulque à se, ipsam festucam projiciat, atque dimittat, ita anima in se non debet etiam minutissimum sufferre peccatum, sed in lachrymas prorumpere quoad usque ipsum à se dimittat, atque mundetur ab illo.

Inquiri secundò cum Abulensi quæst. 5. Quomodo habens trabem in oculo possit videre festucam in oculo alterius; nam trabs oculum occupat, & excæcat, ut parvam festucam videre nequeat; nam ad hanc perspicendam acutissimus, valde perspicax requiritur visus? Respondet ipse Abulensis, quòd non potest videre ad arguendum justè, quamdiu trabem in oculo habet; & si arguit, injustè facit. Respondeo secundò, quòd iste, qui cum trabe in oculo, videt festucam in oculo fratris sui, videt propter odium, ac malam voluntatem, quam habet in proximum; & ideo præpotens est odium, ut etiam ingentem trabem, ac magna impedimenta prorumpat, & penetret, ut aliorum defectus deprehendat, ut ita valeat notare, ansamque habere ad detrahendum, ac obmurmurandum. Et maxime ad hunc sensum facit, quod in textu dicitur: *Quid vides festucam in oculo fratris.* In radice Græca hæc reddit vim: *Qui vides curiosè, ac lyncis oculis.*

Ait Sapiens Ecclesiast. 10. num. 20. In cogitatione tua Regi ne detrabas, & in secreto cubiculi tui ne maledicas diviti, quia aves celi portabunt vocem tuam. Sed quæ sunt aves istæ, quæ ea etiam, quæ dicuntur in abdito tuæ cogitationis, ac intimo cubili tuo, non latent, ut ea audiant, percipiant, Regi deferant, ut tibi nocent? Bene possunt interpretari garruli inimici; nam etiam, Hugone & Carthusiano testibus, per aves, ac volucres celi ob suam velocitatem intelliguntur & Dæmones, Matth. 13. num. 4. & Luc. 8. num. 5. Inimicorum sagacitas, etiam maxime abdita, & abscondita penetrat, ut tuos defectus deprehendat, indeque in te insultare valeat.

Matth. 7. n. 6. Nolite sanctum dare canibus: neque mittatis margaritas vestras ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus suis, & conversi dirumpant vos.

VERSIONES.

Vatablus. Ne dederitis, quod sanctum est, canibus.
Syriacus. Et conversi dilacerent vos.

Radix

Radix Græca. Et conversi laniant.
Tertull. lib. 2. Nolite margaritas vestras ad uxorem porcis jactare, ne conculcent eas, & conversi vos quoque evertant.

reducit Cajetanus. Ad porcos Barradas, Alij Barradas verò, quod mihi videtur probabilius, ad utrosque. Et facit hunc sensum. Et ipsi tanquam canes rabidi, ac etiam ut porci agrestes, dignitatem sacræ doctrinæ non percipientes, conversi, seu versi, seu insu-gentes in vos conviciis, opprobriis, verbis, ac factis lacerent, ac persequantur.

EXPOSITIO.

27. Conexio textus præsentis.

N superiori doctrina docuit Dominus, quòd temerè non erat de proximo malum judicandum. Poterat facile quis putare: Si non debeo leviter malum in corde meo de proximo opinari: ergò generaliter omnia bona omnibus hominibus sunt largienda, & candida simplicitate, ut præcipit Dominus divinus Magister. Vult tamen in suis ministris magnam prudentiam, ut hominibus prophanis, ac publicis peccatoribus sacra mysteria non profituantur. Nam quando peccata sunt publica, licitum est, de eis diducare, ut supra diximus, 10. Deinde prius Dominus egit de cautela habenda in non judicando temerè de proximo: secundo loco de cautela retinenda, ut sua sacra non aperiantur, nec evulgentur mundanis, ut ita maxime commendaret charitatem fraternam, ne proximorum honor, ac fama læderetur.

Hæc proximo maxime estimandus.

28.

Nolite sanctum dare. Per parabolas loquitur Dominus. Et duo communia proverbialia idem significantia hic ponit: *Dare canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos.* Quidam has duas sententias voluerunt distinguere, ita ut per sanctum intelligerent sacramenta, & per margaritas, mysteria divinæ Scripturæ, ac sacræ prædicationis. Tamen idem significatum habet sanctum hic, ac margaritæ, ut docent D. Augustinus lib. 2. de sermone Domini cap. 20. & lib. 1. de adulter. conjug. cap. 17. Gregorius Nazianzenus orat. 1. Chrysostomus homil. 17. in Imperfecto. D. Paschasius lib. 4. in Matth. Albertus Magnus, Utrumque enim denotat sacramenta, ac etiam ceremonias sacras, & arcana divinæ Scripturæ, ac cœlestis doctrinæ. Et ita ait Euthymius: *Sanctum appellavit, utpote divinum; margaritas: propter pretiosa dogmata.* Psalm. 118. num. 127. *Dilexi eam super aurum, & topazion.* Et, ut ait Chrysostomus citatus, Margarita est, id, quod invenitur in ostrearum conchis inclusum; & significat mysteria sacra conclusa in multis rebus visibilibus; & denotat intellectum sacrarum Scripturarum, in littera inclusum. Per canes & porcos simul etiam significantur ij, qui perversi, & obstinati, immedicabili impietate consistunt. Canes dicuntur ob rebellem oblationem; porci propter immunditiam.

August.

Nazianz. Chrysof. Paschas. Albert. Mag.

Euthym.

Psalm. 118. Chrysof.

29. Ratio supra diducorum.

Ne forte conculcent eas pedibus suis. Sux sententiæ rationem reddit Dominus. Illa particula, *ne forte*, non est dubitantis, sed pro more ponitur, ad indicandam nostram libertatem. Conculcent eas, quia illi, tanquam porci, quorum proprium est, pedibus terere, margaritæ præiositatem non intelligentes, sed valde stolidi, ac impudentes, divina mysteria, ac sacramenta doctrinam suis vitis contrariam, suis appetitibus, tanquam suis pedibus calcantes contemnant. *Et conversi dirumpant vos.* Hoc ad canes

QUÆSTIO VI.

Quare Dominus vetet, dare sancta canibus, & margaritas porcis?

DEM significare margaritas, ac sancta, dixi in expositione, scilicet sacramenta, ac sacramenta doctrinam, quæ omnia Dominus prohibet dare canibus, & porcis, hoc est, obstinatis, ac impiis hominibus. hoc ex triplici fundamento. Primò ob excellentiam ipsarum rerum, Secundò ob malitiam convenientium. Tertio propter obligationem ipsorum ministrorum.

Primò ob nobilitatem ipsarum rerum. Perbellè Chrysostomus homil. 17. in Imperfecto, ait: *Mandavi vobis, inquit, Dominus, diligere inimicos; & benefacere eis de vestris corporalibus bonis; non tamen de meis spiritualibus passim: quoniam in natura vobiscum communes sunt, non in fide; & Deus carnalia beneficia dignis, & indignis prestat, non autem gratias spirituales.* Quamquam enim corporalia, quæ ad vitam aliam pertinent, omnibus sunt largienda; Benefacite iis, qui oderunt vos; tamen quæ ad spirituales ordinem spectant, verbi gratia, Sacramenta, non inimicis communicanda sunt. sed, ob eorum excellentiam, domesticis, ac fidelibus. Deinde ut ait Abulensis quæst. 31. *Inobedientum est, rem honorabilem inutiliter exponere. Meritò Esau paternam benedictionem privatur, quia eam parvipendit, quod pretiosissimam primogenituram pro exiguo edulio vendiderit, Genes. 25. num. 34.*

Secundò ob malitiam convenientium, seu circumstantium. Nam, ut ait citatus Abulensis, non solum non proficiunt, sed etiam ipsas margaritas conculcant pedibus suis, sacra contemnant, & argumentis, ac calumniis contra ipsa insurgunt, ut dilacerent fidem; ac suo malo exemplo multis nocent, ipsique sæpe magis obdurescunt in nequitia sua.

Tertio ob ipsos ministros. Quia si illi sint inobedientes, ac impij, ut dent sancta canibus: quid erit? *Ipsi conversi dirumpant vos.* Canes etiam erunt impij in vos, ut ipsos invadant, dilacerent, ac dirumpant. Qualis enim tu Creatori tuo te exhibueris, tales & omnes creaturas invenies. Quomodo audeat Diabolus tentare mulierem, quam in tanto honore gratiæ, & donorum conditam videbat? Dixit ei mulier: *De fructu ligni, quod est in medio Paradisi, præcepit nobis Deus, ne comederemus,* Genes. 3. num. 3. Ubi ipsa venenoso serpenti, ac immundo porco sanctum Dei mandatum aperuit, ac dedit; statim tortuosus coluber in eam conversus, in ejus peccatore se insinuat, & totam mulieris nobilitatem dirumpit, dilacerat, eamque in miserimum peccatum

Chrysof.

peccatum detruit. Divus Chrysofomus homil. 16. in Genes. Omne, inquit, mandatum illi detexit, & margaritas porcis objecit, impleturque quod a Christo dictum est: Ne mittatis margaritas vestras ante porcos, ne forte conculcent illas pedibus suis, & conversi vos dirumpant: id, quod hic factum est, appositum enim porco, huic mala bestie, Danoni videlicet, qui per serpente operabatur, divinas margaritas; & non solum illas conculcavit, & dicitis se opposuit, sed & conversus, non ipsam solum, sed cum ipsa protoplastum quoque in morbum in-bediencia perduxit. Audiant, qui sine discrimine cum omnibus colloquuntur. Liceat etiam mihi hic exclamare, & dicere: Audiant, audiant hoc Prælati, & Episcopi, ne ad sacerdotium, ac Sacramenta indignos admittant, ut contra eorum manus clamemus cum Tertulliano lib. de Idololatria cap. 7. Adlegum, inquit, in ordinem Ecclesiasticum artifices idolorum. Proh scelus! semel Judæi Christo manus imulerunt: isti quotidie corpus ejus lacessunt. O manus præsciendæ!

Arguuntur Episcopi, qui indignos ad sacerdotium promovent. Tertull.

QUESTIO VII.

Quare Dominus prohibuerit dare Sancta canibus, cum ipse, omnibus esse prædicandum dixeret?

34. Difficultas questionis.

DOMINUS hoc loco verat, dare Sanctum canibus, & margaritas porcis. Per Sanctum, ac margaritas, vel intelliguntur Sacramenta, vel mysteria sacræ doctrinæ. Et tamen Christus Dominus, qui est ipse Sanctus, & ipsa sanctitas, se dedit in sacra Eucharistia Judæ, à quo, ut à cane, erat lacerandus. Si autem per Sanctum non dandum canibus, Evangelium interpretetur, etiam Evangelium canibus dandum esse, Dominus dixit: Sic, docete omnes gentes, Marc. 16. numero 15. quas canes fuisse appellatas hoc loco, bona pars Interpretum tenet, ut dicam quæst. sequenti. Et ita Dominus dixit Chananæ: Non est bonum, sumere panem filiorum, & dare canibus, Matth. 15. num. 25. Et planè Evangelium rete nuncupatur, quod mittitur in mare, ubi nullus delectus habetur, congregat enim rete hoc ex omni genere piscium.

Marc. 16.

Matth. 15.

35. Chrysof.

Respondeo primò cum Chrysofomo homil. 14. Canes autem, ait, hic significatur homines in impietate viventes immedicabili speique omnino conversionis in melius non habentes. Porci verò in luto infranis luxuria jugiter commorantes, quos sanè omnes hujusmodi doctrina pronunciat indignos. Prudenti ratione Christi ministri cuncta disponant. Si in auditoribus, ac in populo circumfluente fructus speratur, sanctum Dei Evangelium omnibus est prædicandum. At si nulla sit utilitatis spes, ab hujusmodi exhibitione, ac prædicatione abstinetur. Sic Christus Dominus dixit suis discipulis Joan. 16. numero 12. Multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò. Sic Paulus, & Timotheus communes magistri prohibentur à Spiritu sancto, prædicare verbum Dei in Asia, quia auditores erant obstinati, & non receptari, Actor.

Sine utilitatis spe, laborandum non est.

Joan. 16.

16. num. 6. Sic Paulus, & Barnabas, constitut prædicatores in universum mundum, dimitunt prædicare Judæis Antiochenis, quia verbum Dei non recipiebant, sed Apostolos injuriis, ac opprobriis insectabantur. Et ita eis dixerunt: Vobis quidem oportebat primum prædicare verbum Dei, sed quia repellistis illud, & indignos vos judicatis aterna vite, ecce convertimur ad Gentes, Actorum 13. num. 46.

Actor. 13.

Secundò, Divus Augustinus lib. 2. de sermon. Dom. in monte, cap. 20. Dominus noster, ait, quædam dixisse invenitur, que multi, qui aderant, vel resistendo, vel contemnendo non acciperunt, non putandus est, Sanctum dedisse canibus aut margaritas misisse ante porcos: non enim dedit eis, qui capere non poterant, sed eis, qui capere poterant, & simul aderant, quos propter aliorum immunditiam negligi non oportebat. Similiter Divus Thomas. Nòme Christus multa bona dixit infidelibus; & illi dirumpebant verba sua? Dico, quòd hoc fecit propter bonos, qui cum malis erant, qui inde proficiebant. Dominus noster, cum sit beneficus, & clementissimus propter altantes malos non prohibet sua dona bonis, sed pluit super justos, & injustos, ut suos electos dicit, ac cælestibus beneficiis accumularet, ut inde maxime proficiant. Erat valde expediens, ut in ultima Cœna, quando Dominus erat discessurus ad Patrem, ut institueret Eucharistia sacramentum, omnium mysteriorum maximum, ut tali cælesti cibo suos communiret: quamvis adesse per fidus traditor Judas, cæleste donum non omittit, nec transfert, sed etiam ipsi cani rabido, ac porco imitando sacratissimam, ac purissimam margaritam præbet, ut est communior sententia. Erat ipse peccator, sed occultus; & sacro edulio specialiter negato, non fuit judicandus, ac publicandus, ne inde fortè etiam mors Christi, nostræ redemptionis pretium, impeditoret.

36. August.

Boni ob impietatis celestibus donis non defraudantur.

S. Thom.

Tertid. Ut graves Recentiores respondent, hanc Christi Domini doctrinam intelligendam esse per se: nam per accidens, Christus Dominus Petrus, Paulus, ac Apostoli, & alij Sancti obduratis, ac impiis Judæis, & infidelibus constanter Evangelium prædicarunt, & eorum deperditos mores objurgarunt, quamvis scirent, quòd ab eis morte, & contumeliis erant afficiendi. Hoc tamen præstiterunt, ut publicum veritati, Deique gloriæ testimonium perhiberent, utque etiam omnibus manifesta fieret inexcusabilis impiorum iniquitas, & obstinatio. Quid enim ultra debui facere vinea mea, & non feci.

37.

Homines propter suam obduratorem non celestibus donis privantur.

Quartò ait Chrysofomus homil. 25. His enim, qui benigno sunt animo, atque prudenti, honestissima apparent, cum fuerint revelata, imprudentes verò, ac imperiti magis ea ignorata reverentur. Qui amicabili, ac benevolò sunt affectu, eis est prædicandum; quanto enim magis sacra eis mysteria proponuntur, ac fiunt cognita, tanto magis ea reverentur, ac adorant. At dum percipiunt verò obstinatis, & animo obduratis, sacra divini eloquij non detur margarita, ejus enim ignorantia canti redduntur, ut eam magis timeant, & reverentur; illius verò cognitione impudentiores, ut tanquam porci eam pedibus suis conculcare præsumant.

38. Chrysof.

In auditoribus bonis adit affectus ut verum percipiatur.

Divina

39. Divina sapientia clamat: Si quis est parvulus, veniat ad me; & insipientibus locuta est. Proverb. 19. num. 4. Sed cur Dei infinita sapientia, cujus veritas est infallibilis, & immensus thesaurus super omnem humanum cogitatum, non querit potentes mundi, ac primos sapientes hujus sæculi; sed parvulos, & insipientes? Nam illi, ut inflati, & sua superbia, ac contumacia multum præsumentes, divinam verbum contemnent: at illi, ut humiles, & simplices, illud benigne recipere, ac venerarentur. Ipsa sapientia sic respondet ibid. num. 7. Qui erudit derisorem, ipse injuria nisi facit. Ad quæ verba ita ait Beda: Quasi interrogares, cur sapientia præceteris ad suas epulas invitasset parvulos, & insipientes? Ideo inquit, feci, quia frustra laborat, qui verbum sapientia inculcare nititur ei, qui audire contemnit, sapienterem se, doctiorem, & majorem existere credens.

Bona affectio in auditoribus.

Beda.

40. Paschas. Quid canes, & porci significent. Hieron. Hilac.

Matth. 15.

August. Chrysof. Euthym.

1. Petr. 2.

41. Multa per canes denotata. Franc. Luc.

Deuter. 23. Ly an. Abalens. Ca thuf. Hugo. Cornel.

QUESTIO VIII. Quid per canes, & porcos significetur hoc loco?

MARCI possunt esse hujus rei acceptio- nes. Nam D. Paschasius lib. 4. in Matth. per canes accipit impugnatores veritatis, per porcos, contemptores. Secundò, Quidam, ut refert D. Hieronymus hoc loco, per porcos, infideles; per canes, Christianos, qui post receptam fidem, ad vomitum revertuntur. Tertid, D. Hilarius canes interpretatur Gentiles; & per porcos, hæreticos. Et Christus Dominus significavit, per canes Gentiles denotari, ut supra dixi ex Matth. 15. num. 26. Non est bonum, sumere panem filiorum, & dare canibus. Verior est interpretatio D. Augustini lib. 2. de serm. Dom. in monte, cap. 20. D. Chrysofomi homil. 24. Euthymij, & aliorum. Quòd idem hic significatur per canes, & porcos, nempe homines obstinatos, & objuratos in sua malitia. Est enim duplex metaphora, & duplex proverbium, idem denotans, & significans; quibus etiam utitur D. Petrus epist. 2. cap. 2. n. 22. Tanquam canis reversus ad vomitum suum, & tanquam sus lota in volutabro luti.

Canes specialiter ponuntur à Domino in exemplum. Sunt enim valde abominabiles, & à Sanctis, ut notat Franciscus Lucas, maxime arceri soliti, usque adeò, ut in veteri lege neque pretium canis in domo Dei offerri posset, non magis, quam merces prostibuli: Quia, ait lex, abominatio est utrumque apud Dominum Deum tuum, Deuteron. 23. num. 18. Cujus rei multas rationes ibi tradunt Lyran. Abalensis, Carthusianus Hugo, Cornelius à Lapide. Est namque canis im-mundum animal; idque duplici ratione, secundum legem demonstratur. Quia nec ungulam fingit, nec ruminat, Levit. 11. num. 26. Deinde aliis rationibus hoc comprobatur; quia omnia comedit, etiam putrida, & immunda; salacissimus est, turpissimoque libidinis spectaculo notatus; inter homines natus, ac educatus, nec ab humana carne abstinet; aliorum sanguinis lingendi est avidissimus, eoque maxime recreatur; sepius, & ubique suis immunditatis loca deturpat; re-tumit vomitum suum. Tandem, ut ex Chrysof. Sylveira in Evang. Tom. 11.

mo in Imperfecto homil. 17. notat Albertus Magnus, canis inter omnia animalia hoc habet, quòd vix emittit voces, nisi ad abigendum supervenientes, cum alia animalia ad hoc non vociferent; quasi ipsi soli velint comedere, degere in loco, ac illum tenere. Merito ergo arcentur à divinis canes: nam per ipsos denotantur homines ambitioni, avaritiæ, turpitudini, immunditiæ, ac vitii dediti.

Imperfect. Alb. Mag.

Arcentur à divinis, qui loca sibi solè volunt.

Porci etiam abominabiles habentur. Eorum carnes prohibita erant Judæis, Levitic. 11. num. 7. Deuteron. 14. num. 8. Porci sunt valde immundi; in luto ac cævo suffodiunt, & volutantur; maxime luxuriosi, inter omnia animalia, valde brutales; & indociles, ita ut apud Ægyptios esset hieroglyphicum, ac simulacrum hominis carens sensus, ac intellectus, ut restatur Pierius, Valerianus lib. 9. rosas dispergit, ut lutum quærat; valde nocivi, semen, & messem subvertunt. Unde porcum Deæ Ceteri immolabat Antiquitas mense Aprili: Hispido vultu, dimisso dorso semper in terram intendunt, & oculos ad cælum non elevant; ut ponderat S. Abbas in viis Patrum, lib. 6. cap. 1. num. 8. Tandem aliqui notarunt apud D. Polycarpum epist. ad Polycarpum Philipp. Quòd sus, cum comedit, ita vorat, ut non agnoscat dominum suum; quodque, cum esurit, grunnitum edat ad dominum. Et ita per porcos, significantur homines impuri, volutabris dediti, valde indociles in doctrina cælesti, contemptores divinarum, terrenorum amatores, qui solum terrena meditantur; valde ingrati; qui soli suo commodo sunt intenti.

42. Per porcos multa denotantur.

Pierius.

Vita Patrum lib. 6. cap. 1.

Ingrati, qui dum eis bene est, nullos agnoscent.

Matth. 7. n. 7. Petite, & dabitur vobis; querite, & invenientis; pulsate, & aperietur vobis. Omnis enim, qui petit, accipit; & qui quærit, invenit; & pulsanti aperietur.

VERSIONES.

D. Fulgentius. Pulsate, & aperietur vobis, quia veritas est, & mentiri non potest.

ALTER TEXTUS.

Luce 11. n. 6. Ego dico vobis: Petite, & dabitur vobis.

EXPOSITIO.

DIVUS Hilarius can. 6. Chrysofomus homil. 24. Euthymius. Theophyl. & Chrysof. ita connectunt hæc verba cum superioribus. Christus in antecedentibus docuerat ea, quæ erant valde difficilia, ut non essent solliciti de cibo, & potu; ut de proximis non temerè dijudicarent: nunc ostendit, qua ratione possint illa teneri, nempe oratione, ac petitione ad Deum. Multi alij, ut est Maldonatus, contendunt, quòd Maldonatus, Multi alij, ut est Maldonatus, contendunt, quòd Maldonatus, Q. q. Evan.